

PRAEFATIO

Tituli Latini, qui in Slovacia asservantur quique ab imperio Romano originem suam trahunt, testes sunt aetatis, qua hodiernae Slovaciae terra in confinio provinciae Pannoniae Superioris iacebat. Quorum titulorum nonnulli sunt in situ reperti, plerique autem e finibus Pannoniae ea de causa trans Danubium transvecti, ut lapis calcarius, qui est in confinio Slovaciae cum Hungaria rarissimus, ab incolis vario modo in usum proprium converteretur. Sed cum terrae Transdanubianae ab archaeologis nondum sint omnes exploratae, pro certo habere possumus fore, ut tituli aetatis Romanae adhuc ignoti et sub terra latentes seu muris insaepti etiam inveniantur.

Haec editio ab ea, qua Vojtěch Ondrouch omnes e Slovacia inscriptiones primus colligere conatus est, valde differt, nam omnes titulos denuo perspeximus, lectiones correximus titulosque, quos Ondrouch de libris tantum cognoverat, reiecimus et ad tempus futurum una cum ceteris edendis rettulimus. Tunc enim et inscriptiones Slovaciae partis Cisdanubianae, quae tempore praesente in vico Rusovce, ubi verisimiliter Gerulata Romana iacebat, ab archaeologis inveniri incipiunt, altero — ut speramus — volumine colligi poterunt.

Editionem nostram ut ederemus, magnum nobis erat Academiae scientiarum Germanicae Berolinensis studium, ut Corpus inscriptionum Latinarum, praecipue autem Corporis tomus III titulos — praeter alios — regionum Danubianarum continens, sed multis inscriptionibus post annos 1873—1902, quibus est tomus III editus, repertis carens, denuo edatur. Cuius tomi et editio nostra, nonnullis locis usui editorum CIL accommodata, pars erit.

Opus susceptum ad finem nullo potuissemus modo deducere nisi subsidio institutorum multorum et virorum doctorum non paucorum nixi. Imprimis autem gratias Instituto archaeologico Nitriensi eiusque directori Antonio Točík agere debemus, nam non solum permisit, ut hanc editionem edendam curarem, sed et imaginum photographicarum collectio in usum nostrum benivolentia eius facta est. Deinde nominandi sunt viri de archaeologia, epigraphia studiisque classicis maxime meriti, Iohannes Irmscher, Instituti antiquitati Graeco-Romanae promovendae Academiae scientiarum Germanicae Berolinensis director, Roland Gruendel, epigraphicae partis eiusdem Instituti praeses, Gabriel Hejzlar, František Kalousek, Jaroslav Ludvíkovský, Oldřich Pelikán, professores Universitatis Purkynianae Brunensis, Jiří Frel, professor Universitatis Carolinae Pragensis, necnon Ladislav Vidman Pragensis, Instituti studiis Graecis Romanis Latinis promovendis Academiae scientiarum Bohemoslovacae sodalis in epigraphia peritissimus. Sed et iis, qui ipsa

monumenta custodiunt et conservant, gratias agimus pro studio eorum, quo nostrum opus adiuuabant. Quorum in numero sunt Musei Slovaci Nationalis Bratislavensis, Musei urbis Bratislavae, Musei Danubiani Comarnensis directores, ecclesiarum titulos Romanae aetatis in oppidis Komárno, Hurbanovo, Semerovo, Želiezovce possidentium parochi, Desiderius Tomeček, homo privatus Leopoldopolitanus, multi alii. Etiam bibliothecas earumque custodes, praecipue autem Otakar Líbal Brunensem, animo gratissimo recordamur.

Utiles ad discendum dies Seminarii epigraphici internationalis reminisci quoque debemus, quod a. 1965 in vico Tupadly et Pragae — magistro doctissimo H. G. Pflaum praesidente — inscriptiones Pannoniae Superioris nullo modo neglexit. Professori H. G. Pflaum quidem, viro de epigraphia optime merito, pro praeceptis, quae tunc nobis benevolentissime tradidit, nos semper gratissimos praestamus.

Editionem nostram ita disposuimus, ut primum titulos militares, deinde dedicatorios votivosque, postremo autem sepulcrales tractemus, successionem ordinis temporum in una quaque parte respicientes. Sed ne falsos quidem titulos, qui in Slovacia etiam asservantur, silentio praeterire potuimus. In usum omnium nostrae rei publicae civium, qui rationem titulorum tantum cognoscere velint, versio Bohemica in fine libelli destinata est.

Dabamus Brunae Kalendis Iuliis a. 1966

Editores